



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

§. Vnic. Quę bona co[n]fiscationi subiacea[n]t.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

ralem, sed particularem de debitis realibus dicimus. Et hinc est, ut si bona confiscata habeant reale onus ad solvendam alteri pensionem, cum illo onere transeant ad fiscum, ita ut illam ipse solvere teneatur. Fortasse tamen id solum in exemplum positum fuit, iam enim regulam generalem statuerat, confiscationem ita esse faciendam, ut in damnum alterius tertij innocentis per se non cedat. Cederet autem per se in damnum creditorum personalium, si non possent recuperare, quod iis debitum erat ante crimen commissum. Ratio etiam à priori est, quia bona alicuius non censentur, nec estimantur, nisi deducto ære alieno, cuius valor facit æquè decrefcere valorem bonorum. Si tamen debita contracta sint post delictum, fiscus non tenetur ad ea, nisi quatenus in bonum fisci redundarunt, vel contracta fuerunt ad hæretici necessitates: nam tunc etiam, ut diximus, redundant in bonum fisci, cum hæreticus tantundem ex aliis suis bonis ad eas necessitates expendere debuisset.

16 Hinc est, quod creditores possint, & debeant prius exigere à fisco, quam à fideiussore hæretici, quia prius etiam debebant exigere ab hæretico debitore principali, quam ab eius fideiussore. Non tamen tenetur fiscus ultra vires bonorum confiscatorum, etiam si inuentarium non fecerit; quia hæc obligatio solum imposita est vero hæredi, qualis fiscus propriè non est, ut cum aliis notat Sanchez dicto c. 22. num. 83. Ipse tamen reus eo ipso liberatur ab omnibus debitis & obligatio tota transit in fiscum, quo, si bona confiscata sufficiebant, non solvente, Reus non tenetur solvere ex bonis, quæ post sententiam acquireret. Secus esset, si beneficio Principis ei sua bona restituerentur, redirent enim cum bonis obligationes. Si autem pars bonorum restitueretur, vel sola pars confiscata esset, teneretur fiscus pro rata ad partem debitorum, & condemnatus etiam pro alia parte: quæ, & alia fusiùs persequitur Sanchez *ibidem*. Qui tamen numer. 91. addit, hoc intelligi, quando creditores potuerunt à fisco recuperare, & sua negligentia non recuperarunt: secus autem esse, quando non potuerunt, aut quia defectu probationis causa ceciderunt, aut quia magnis expensis opus erat: neque enim æquitas patitur creditores illos re sua absque omni culpa priuari. Hoc tamen Sancier dictum impugnat Castro Palao dicto tract. 4. disp. 5. punct. 25. num. 12. quia delinquens non est causa, quod creditores careant probatione, vel quod magnas expensas faciant, ergo non est cogendus illis satisfacere, cum iam illis ex parte sua plenè satisfecerit transferendo obligationem totam in fiscum: aliàs bis idem solvere cogeretur. Hoc tamen non videtur multum urgere: quia non censetur in conscientia satisfacisse creditori, quandiu non transtulit obligationem in eum, à quo moraliter loquendo creditor possit debitum exigere, quare soluendo postea non bis, sed semel soluit, quia antea moraliter non videtur soluisse.

17 Adhuc tamen si sermo sit de debitis realibus, quæ res confiscatas afficiunt, non videtur dubium, quod Reus liber maneat, cum debitum illud transeat omnino cum re obligata: per accidens autem est, quod creditor non possit obligationem apud fiscum probare: sicut si res aliena apud hæreticum inuenta confiscaretur cum eius bonis, nec verus dominus probare posset esse

suum, non ideo hæreticus deberet pretium ei solvere, nisi fuisset causa, quod probatio deficeret. Hinc autem idem videtur probabile de debitis personalibus: nam licet hæc obligatio immediatè personam: per successionem tamen vniuersalem, qualis est successio fisci, transferri videtur ipsa etiam persona, & successor vniuersalis representat personam delinquentis, cum omnibus suis actionibus, atque etiam debitis passivis. Cum ergo non sponte, sed lege coactus, transferat suam personam cum omnibus iuribus, & debitis in fiscum, non imputatur ei, quod creditor non possit recuperare debitum ab eo, in quem ex vi legis omnes illæ obligationes translatæ sunt, sed id per accidens sequitur ex casu fortuito, ex quo non est mirum, si alij ab ipso delinquente damnum aliquod sentiant.

§. Vnic.

Quæ bona confiscationi subiaceant.

Regula generalis est, omnia bona stabilia, vel mobilia, iura etiam, & actiones hæretici, ad fiscum transire, & in vniuersum omnia, & sola, quæ ipse hæreticus in heredem extraneum transferre potuisset, si liberè testari posset de omnibus suis bonis. Hanc regulam statunt Doctores, quos affert, & sequitur Sanchez dicto lib. 2. cap. 14. n. 3. & sequentiùs. Suarez dicta disp. 22. sect. 5. & alij. Nam licet nomine bonorum mobiliū, & immobiliū confiscandorum non veniant iura, & actiones, ut fatetur Sanchez *ibi* num. 2. veniunt tamen sub nomine omnium bonorum, sub quo nomine hæc pœna hæretico imponitur in dicto cap. cum secundum legem, de hæreticis in 6. Limitat Sanchez num. 5. hanc regulam, ut non sit vniuersalis affirmatiua, quæcumque ad heredem extraneum transire possent, acquiri fisco; quia fiscus non est propriè hæres: hanc limitationem reicit Suarez *ibi* supra n. 3. cum quia vniuersaliter accipitur à doctoribus, nec facile inueniatur casus, in quo deficiat. Melius limitat ipse Suarez *ibi* num. 4. partem negatiuam, quæ nisi intelligatur de confiscatione perpetua, non est vniuersaliter vera: aliqua enim sunt, quæ hæreticus non posset transferre in suum heredem, quæ tamen transferantur in fiscum, non in perpetuum, sed durante vita hæretici: v.g. usufructus datus hæretico in vitam, census vitalitius, & alia eiusmodi, quæ non possunt transire in heredem, cum extinguantur mortuo hæretico; transeunt tamen in fiscum durante eius vita.

Dubatur ergo primò, an quæ hæretico debentur sub conditione, pendere adhuc conditione, transeant in fiscum. Respondet, si debita sint ex testamento, vel vltima voluntate, non transeant ad fiscum, quia in iis quandiu conditio pendet, non est ius quod legatarius, vel hæres sub conditione institutus transferre posset ad suos hæres, sed sola spes habendi ius si conditio impleatur: si ergo tempore sententiæ prolata, conditio non erat impleta, nullum habet ius hæreticus, quod transferatur in fiscum: impleta verò conditione postea, iam illud computatur inter bona acquisita post sententiam: ita Doctores communiter, quos congerit, & sequitur Sanchez dicta cap. 14. num. 15. Vnde si hæreticus fuerit alteri substitutus, & post sententiam eueniat conditio, vel

vel casus substitutionis, ipse delinquens, & non fiscus succedit.

20 Si verò debita illa, quæ hæretico debentur sub conditione, procedant ex contractu, acquirantur fisco, etiam si conditio impleatur post sententiam: quia in iis debitis, etiam ante impletam conditionem, creditor habet ius aliquod, quod transferre possit ad heredes. Quod licet aliqui intelligant solum, quando conditio erat casualis, vel mixta, non verò quando erat potestativa; hanc tamen limitationem reiecit Sanchez cum aliis ubi supra num. 26. quando conditio est talis, ut possit per heredem impleri in forma expressa, vel æquivalenti in ordine ad effectum à contrahentibus intentum.

21 Cæterum non dicit, quid iuris quando conditio non esset talis, quæ possit per fiscum impleri, sed esset potestativa, vel mixta talis, quæ per solum delinquentem impleri possit, & ipse post sententiam eam implevit, an tunc fisco acquiratur id, quod sub conditione debebatur, v. gr. si promissa erant hæretico 100. si picturam faceret manu sua, vel si Titiam duceret in uxorem. Puto tamen illa non acquiri fisco, sed delinquenti; & in hoc casu consensit Doctoribus, quos affert idem Sanchez n. 24. imò licet illi loquantur de conditione potestativa; ego id etiam credo habere locum in conditione mixta. Nam ius illud ante impletam conditionem tale erat, ut non possit transferri ad heredem, ergo nec transit ad fiscum, quam consequentiam negativam vniuersalem esse fateatur Sanchez num. 5. & quia reuera in potestate delinquentis est postea adimplere conditionem, atque adeo eam adimplens censetur tunc moraliter acquirere lucrum illud: acquisita autem post sententiam non cedunt fisco, sed delinquenti ut dictum est.

22 Maius est dubium de iis, quæ hæreticus ipse debet sub conditione nondum impleta tempore sententiae, an fiscus succedat in ea obligatione, ita ut impleta conditione post sententiam fiscus debeat ea debita solvere. Non est autem sermo de iis, quæ testamento, vel vltima voluntate, aut donatione causa mortis hæreticus sub conditione reliquerat, vel promiserat: nam ea non sunt debita, cum possit hæreticus ea omnia pro libito renouare; sed est sermo de debitis propriis, à quibus non poterat hæreticus recedere. Negant multi, quos affert Sanchez n. 22. quibus videtur ex parte consentire Suarez ubi supra scilicet. §. num. 2. dicens, si hæreticus ante delictum donauit aliquid alteri, sub conditione, quæ conditio post delictum impletur, rem donatam pertinere ad fiscum; quia donatio sub conditione non est donatio simpliciter, nec transfert dominum, donec impleatur conditio: quare si hæc impletur eo tempore, quo iam donans non poterat dominum firmiter transferre in præiudicium fisci, donatio non præiudicauit fisco.

Sanchez cum aliis ubi supra num. 23. dicit debita hæc conditionata pendente conditione transire ad fiscum, eumque obligare, quia eadem est ratio de debitis actiuis, & passiuis, ut utraque æquè debeat ad fiscum transire. Postea tamen num. 24. & 27. id limitat, ut locum non habeat, quando reus debebat aliquid ex contractu sub conditione potestativa: quia conditio potestativa non retrahitur, sed in ea inspicitur tempus impletæ conditionis, quod probat ex l. qui balneum 9. in principio, & l. potior 11. in principio, Card. de Lugo de virtute Fidei diuina.

ff. qui potiores in pignore. Cum ergo conditio impleatur post delictum, non potest tunc hæreticus incipere obligari in præiudicium fisci.

Ego quoad primam partem conuenio cum Sancio, & dico ea debita passiuæ conditionata ex contractu transire ad fiscum, etiam si conditio post delictum, vel post sententiam impleatur, quia si creditor aliquod ius habebat aduersus delinquentem, quo iure non debet ob delictum debitoris priuari. Quoad secundam verò partem, de debitis ortis ex contractu sub conditione potestativa, non omnino cum eo auctore conuenio: videtur enim in illis eadem ratio procedere: si v. g. hæreticus promisit centum Titio, si hic picturam ei faceret, & si cameram ei construeret, iam enim Titius ius aliquod habet, nec poterat hæreticus ab eo contractu rescire: non debet ergo ob alterius delictum Titius perdere ius, quod habet ex contractu.

24 Quare aliter ergo distinguerem de conditione potestativa, vel enim illa est dependens à voluntate solius creditoris, vel etiam dependens à voluntate hæretici debitoris. In secundo casu admitto Sancier doctrinam, quod si conditio impleatur post delictum, vel post sententiam, non id fit in præiudicium fisci, nisi forte ex conditione impleta fiscus factus sit ditior, quia v. g. inde in facultates delinquentis utilitas redundauit. Tunc enim tenebitur fiscus quatenus ditior est factus. Quam limitationem concessit etiam idem Sanchez dicto num. 27. In primo tamen casu puto, impleta conditione fiscum obligari: de quo tamen casu expressè loquitur Sanchez ibi, nam affert exemplum, quando hæreticus ante delictum pactum fecerat cum Titio dicens, si hoc feceris, dabo tibi centum, & Titius post delictum conditionem implevit, de hoc autem casu non loquuntur illæ leges 9. & 11. ff. qui potior in pignore, sed de secundo casu, in quo conditio dependebat à voluntate debitoris. Nam in dicta lege, qui balneum Iureconsultus regulam generalem posuit, creditorem sub conditione præferendum esse in pignore creditori posteriori, cui pendente conditione datum fuit idem pignus ob debitum aliud absolutum: ex qua regula excipit solum; si modo non ea conditione sit, quæ inuito debitore impleri non possit. Vides, à regula generali non excipi omnem contractum sub conditione potestativa, sed ea solum, quæ poni non possit independentem à voluntate debitoris. Idem est casus in dicta leg. potior, cuius hæc sunt verba: potior est in pignore, qui prior credidit pecuniam, & accepit hypothecam: quamuis cum alio ante conuenerat, ut si ab eo pecuniam accepit, sit ei res obligata licet ab hoc postea accepit, poterat enim licet antea conuenit, non accipere ab eo pecuniam. Ecce non reddit pro ratione, quod conditio fuerat utrumque potestativa, sed quod debitor ipse poterat conditionem impedire, non accipiendo pecuniam: non enim se obligauerat ad accipiendam, sed obligauerat hypothecam, si acciperet. Quare ex iis legibus contrarium probatur potius, cum nunc solum dicant obligationem incipere à tempore conditionis impletæ, quando conditio dependebat à voluntate debitoris, & eo inuito poni non poterat, in aliis verò conditionibus, quæ inuito debitore impleri poterant, regulam contrariam statuunt.

Ratio autem huius differentiæ est optima, quia promittens sub conditione, quæ ab ipso

LLI 3 promit

promittente potest poni, vel impediri, nondum censetur obligatus, cum sit adhuc in eius potestate impedire obligationem impediendo conditionem; quare tunc solum censetur incipere obligatio, quando ex nouo eius consensu impletur conditio, quæ si impletur post hæretici delictum, non potest fisco præiudicare, qui tempore confiscationis & delicti inuenit ea bona libera ab obligatione. Quando verò conditio non pendet à voluntate debitoris; iam manet debitor ex parte sua obligatus, cum nihil possit facere, ut se ab obligatione soluat, nec impedire conditionem, sub qua sese obligauit, & ideo bona illa non inueniuntur à fisco libera, sed hæreticus inuenitur obligatus dependens à conditione, quam creditur, vel alius ponere potest, inuito debitor.

26 *Alimenta hæretico relicta an debeant confiscari.*
Respondeo cum Sancio ubi supra num. 42. debere confiscari ea, quæ iam tempore sententiæ cesserant, & debebantur, vel extabant exacta apud hæreticum, quia hæc iam pertinent ad eius bona; quæ autem in futurum debentur, non pertinent ad fisco, quia legatum alimentorum non est vnicum, sed multa, & singula singulis annis cedunt: legatum autem ante diem nondum cedit, atque adeo non dat ius legatario, quod possit in fisco tunc transferre. Vnde idem dicendum est de quolibet legato annuo, quod continet plura legata, non verò de illo quod esset totum vnicum, & solutio sola diuisa esset in plures annos in fauorem hæredis, quem testator noluit grauare ad soluendum simul totam summam: hoc enim totum confiscaretur, ut notat idem Sanchez n. 46.

27 *Hæreditas hæretico delata nondum adita tempore sententiæ an acquiritur fisco.*
Tertio dubitatur de hæreditate hæretico delata vel ante hæresim, vel etiam post illam (si capax sit hæreditaria institutionis) nondum tamen adita tempore sententiæ, an acquiritur fisco. Respondeo negatiue cum communi Doctorum, quos affert, & sequitur idem Sanchez ibi n. 48. quia ius adeundi hæreditatem delatam, non potest transmitti ad hæredes, sed aditio est actus personalis personæ alligatus. Quando tamen ius adeundi esset tale, ut posset transire ad hæredes extraneos, quale est ius, quod inuenitur in hærede suo, qui transmittit in quolibet hæredes hæreditatem sibi delatam, & nondum aditam, dummodo illam non repudiaret, tunc fisco etiam posset ius illud acquirere.

28 *An hæreticus hæreditatem sibi post delictum delatam possit in fisci præiudicium repudiare.*
Hinc quartò dubitatur, an hæreticus hæreditatem sibi post delictum delatam possit in fisci præiudicium repudiare. Negant aliqui, quos refert Sanchez ibi n. 5. 2. quando repudiatio fit post condemnationem. Ipse tamen cum aliis num. 5. 3. affirmat, quia id non est alienare, sed non acquirere, nec fisco privilegium peculiare in hoc habet. Vnde addit, posse id licite etiam fieri quia quamuis debitor non possit in fraudem, vel præiudicium creditorum repudiare hæreditatem, quia ex iustitia debet soluere creditoribus, quos commodè potest, fisco tamen nihil debet Reus ex iustitia, nisi ea bona, quæ actu habet, quando à fisco petantur.

29 *Seruis hæretici an & quomodo fisco acquirantur.*
Dubitatur quintò de seruis hæretici, an & quomodo fisco acquirantur. De hoc latè videri potest Molina tom. 1. de Iustitia disp. 40. & Sanchez dicto lib. 2. cap. 24. à num. 9. Affirmant aliqui acquiri fisco, quos refert Sanchez ibi n. 9. Com-

munis tamen, & vera sententia id concedit de seruis infidelibus, seu non baptizatis, negat verò de seruis Christianis: hi enim sequuntur condemnationem domini hæretici, liberi sunt, & retrahitur libertas ad diem criminis commissi, & confiscatio. Quod colligitur ex lege. *Mattheos. 4.* in fine Cod. de hæreticis, & ex cap. ultimo de hæreticis. Ita Suarez dicta disp. 22. sect. 5. num. 6. Hurtado dicta disp. 85. sect. 3. & alij plures, quos congerit, & sequitur Sanchez ibi n. 10. Oporteret autem, quod seruus fuerit dominum ante hæresim: si enim post hæresim cum acquiritur, tunc vel verè non acquirit, propter incapacitatem acquirendi ex testamento, vel donatione, vel ceteris. seruus non ipsi acquiritur, sed fisco, sicut, & alia bona de quo Sanchez num. 14. Hæc verò libertas seruo semel per domini hæresim acquisita, non ei auferitur, licet postea beneficio Principis hæretico bona sua restituantur, quia id esse non debet in dampnum serui, qui iam ius acquisierat ad suam libertatem. Hoc tamen beneficium competit absolute seruo, quando plene erat sub dominio domini lapsi in hæresim: si enim non erat plene, sed ex parte, quia, v.g. erat seruus communis plurium, vel erat hypothecatus cum aliis bonis pro dote vel ex alia causa, non acquirit plene libertatem, sed ex parte ita ut soluendo aliis interesset habentibus suam partem liber fiat, quod variis exemplis, & casibus adductis explicat latè Sanchez illo loco.

Dubitatur sextò de iure Patronatus, quod hæreticus habebat, an acquiritur fisco. Respondeo, publicari quidem maxime à iudice Ecclesiastico, nam laicus non potest illud ius nominatim publicare, sed bona, quibus ad hæreticam non tamen applicari fisco, sed extingui in fauorem Ecclesiæ, quæ libera manet, qua parte ius illud ad hæreticum pertinebat. Quomodo autem id fiat, videri debet ultra alios, quos affert, Sanchez dicta lib. 2. c. 19. à num. 2.

Dubitatur septimò de pensione Ecclesiastica, quam hæreticus habebat, an confiscatur. Ceterum videtur, non posse à iudice laico confiscari, cum sit aliquid spirituale, & extra illius iurisdictionem. Difficultas esse potest de iudice Ecclesiastico, ad quam Suarez dicta disp. 22. numero 6. dicit, quoad fructus iam decutos confiscari, quia iam sunt bona hæretici, & pertinent ad fisco, sicut omnia alia eius bona: quoad fructus verò futuros, non acquirit fisco, nec ipsi hæretico, sed extingui pensionem in fauorem illius, qui eam soluebat. Nam licet pensio non sit propriè beneficium, in hac tamen materia sub nomine beneficii comprehenditur in fauorem fidei, ut tradit Gigas de pensionibus quest. 52. numero 4. & quest. 94. num. 7. Cui doctrinæ consentit Castro Palao dicto tract. 4. disp. 5. punct. 5. numero 12. non tamen videtur vti eadem ratione, sed alia, quia nimirum confiscatio non extenditur ad futura; neque etiam ius ad eos fructus colligendos propriè confiscatur, sed sicut inest dignum priuatione pensionis, in fauorem Ecclesiæ extinguitur, ita ut hæreticus nullam iam pensionem habeat. In quibus verbis non videtur decernere, an pensio ipso facto extingatur post sententiam, sed solum sub conditione, si crimen est dignum priuatione pensionis. Ceterum Sanchez dicto lib. 2. cap. 28. numero 36. loquens de filiis hæreticorum, an sicut amittunt beneficia, ita etiam amittant pensiones post patris condemnationem.

condemnationem obtentas: respondet affirmatiue, quia incapax ad beneficia, et etiam incapax ad pensiones, & quia pensio est pars beneficii, & eisdem modis amittitur, quibus beneficium: ut quia iura utuntur verbis generalissimis significantibus quemcumque beneficii modum, & denique ita dicit sapius à Rota decisum, & esse doctorum sensum quos ibi affect.

31 Tota hæc doctrina, stando in rigore iuris, difficultate non caret propter regulam generalem, quod beneficii appellatione pensio non comprehendatur, quæ colligitur ex Concilio Tridentino sess. 25. capite 14. & 15. de reformatione, ubi pensiones expresse distinguuntur à beneficiis, sicut & distinxit Sixtus V. in sua constitutione 30. & 31. de tonsura, & habitu clericali, & est communis doctorum sententia, quos affect, & sequitur Filiucius in *Appendice tract. 42. de pensionibus. cap. 1. numer. 8.* Nec etiam verum videtur, quod quicumque sit incapax beneficii, fiat incapax pensionis: extat enim contraria declaratio sacre Congregationis, quam affect idem Filiucius ibi *cap. 3. numer. 11.* in qua dictum fuit incapacitatem ad beneficia ratione homicidij, non extendi ad pensiones: quare ibidem verba sit *quarto*, impugnatur Navarrum, & Flamin. Paris. dicentes irregularitatem ita reddere quempiam inhabilem ad pensiones, sicut ad beneficia. Denique quod confiscatio non comprehendat bona futura, non videretur obstaré; quia licet pensiones non sint præsentis, ius tamen ad illas est præsens, & licet clericus non possit transferre in alium ius, quod ipse habet ad exigendos fructus beneficii (& idem est de pensione quia hoc ius est ipsum beneficium: potest tamen dare alteri ius exigendi fructus, non ita, ut nomine proprio eos exigit, sed nomine ipsius Clerici, ut cum communi supponebam *disput. 3. de iust. sect. 9. numer. 197.* Cur ergo non possit fiscus non suo nomine, sed nomine clerici pensionarij exigere fructus futuros pensionis, propter ius ad hoc acquisitum, quod ius posset ipse clericus in alium extraneum transferre? Cum tamen stylus Curiæ contrarius sit, & Rota ita declarauerit in hac materia sub nomine beneficii intelligi pensiones, ut hæc sicut, & beneficia extinguantur per condemnationem, ut doctores citati testantur, non erit ab ea sententia recedendum.

32 Dubitari solet octauo de peculio filij-familias, an eo in hæresim lapsus, & condemnatus acquitatur filio. Quæ tamen questio non potest ad certas regulas reduci, nisi plura iuris principia examinentur, quæ pertinent ad iuristas, & tota hæc materia ad merum forum iudiciale spectat. Quare occurrente casu videri possunt ex nostris Sanchez *disto lib. 2. c. 13.* & Castro Palao *disto dist. 5. puncto 10. & 11.* ubi etiam, an pater in hæresim lapsus confiscentur peculia filiorum, de quo idem Sanchez *late cap. 16.* Ob eandem verò rationem omitto alia, quæ ad iuristas, & forum iudiciale spectant, & longiorem tractatum exigent, nempe, quæ bona coniugis filio acquirantur, sine pæiudicio coniugis innocentis, de quo late idem Sanchez *ibi cap. 17.* Item, an maioratus, & bona restitutioni, ac fidei commissio subiecta confiscanda sint, vel saltem durante vita hæretici ad fiscum pertineant, de quo idem Sanchez *cap. 18.* Quod idem de *Emphyteusi. & fundo tractat c. 19.* Quæ omnia si examinanda à nobis essent, oport-

teret ad alias materias longè digredi, & inutiliter repetere, quæ apud alios Auctores facile inueniuntur.

Illud magis pertinet ad præsens institutum, quod dubitari non solet de Clerico in hæresim lapsos, quæ & qualia eius bona publicentur. Certum est, non confiscari bona Ecclesiæ, imò id sub grauissimis penis prohibitum est Clement. 2. de hæreticis, de qua prohibitione, & eius penis, quomodo intelligendæ sint, agit late Sanchez ubi *suprà cap. 20. num. 3. & sequentibus.* Certum etiam est, bona propria ipsius Clerici, quæ erant patrimonialia, vel quasi patrimonialia, & de quibus poterat liberè disponere, & testari, ac transferre ea in extraneos, confiscari, ut tradit idem Sanchez *ibi num. 22. & 23.*

De bonis verò acquisitis à Clerico intuitu Ecclesiæ, & de quibus non potest de iure communi testari, regula generalis est, ut ea non pertineant ad fiscum, sed ad Ecclesiam, vel Ecclesias à quibus stipendia perceperunt, ut decernitur in *cap. Excommunicamus. 1. §. damnata verò, de hæreticis, ubi glossa, & alij quos affect Sanchez n. 24.* qui bene contra aliquos notat, id intelligi tam de beneficio simplici, quàm de habente curam animarum. Quia tamen alicubi inducta est consuetudo, ut Clerici Inferiores Episcopis de iis bonis testari possint, ibi bona ea confiscationi subiacebunt iuxta regulam generalem, quod pertineant ad fiscum quacumque hæreticus poterat ad hæredem extraneum transferre, ut cum aliis docet idem Sanchez *n. 25.* qui *num. 26.* aduertit ea bona ex usu, vel privilegio in regno Castellæ non ad fiscum Ecclesiæ, sed ad fiscum Regium applicari.

Dubitarum decimo, An confiscatio extendatur ad bona, quæ sunt extra territorium iudicis condemnantis hæreticum. Respondeo, quidquid sit in aliis delictis, in hæresi tamen, in qua confiscatio procedit ex iure communi, dicendum est, extendi ad bona omnia hæretici, ubicumque sita sint. Debet tamen sententia confiscationis executioni mandari à iudice illius territorij in quo sunt bona, requisito per iudicem, qui sententiam tulit. Imò si nisi sint diuersi, singula bona pertinent ad fiscum territorij ubi sita sunt: ex qua regula aliqui excipiunt bona mobilia, quia hæc concernunt personam damnatam, nec territorio ad hærent. Videatur Sanchez *disto c. 20. num. 30. & sequentibus.*

Ad hanc penam confiscationis reduci potest illa alia, quod hæreticus testamentum condere non possit, quæ habetur in *cap. excommunicatus 1. §. credentes, de hæreticis.* Quam penam aliqui dicunt habere locum, etiam nulla sententiâ declaratoria sequuta. Contrarium tamen dixi cum aliis *rom. 2. de iust. disput. 24. sect. 4. num. 69.* & pluribus relatis eandem tenet Sanchez *disto lib. 2. cap. 24. num. 3.* qui aduertit etiam post sententiam posse testari hæreticum de bonis post illam acquisitis.

Huc spectare etiam posset illa alia pena quod hæreticus amittat ius patriæ potestatis in filios, quæ habetur in *cap. 2. §. ultimo de hæreticis in 6.* Ad quam etiam penam aliqui requirunt sententiam declaratoriam, quos affect Sanchez *disto cap. 24. num. 6.* Ego tamen *rom. 1. de iust. dist. 5. sect. 1. num. 7.* dixi effectum sortiri à puncto criminis commissi, quod etiam aliis relatis tenet Sanchez *loco citato.* Qui *num. 7.* tractat, an filius liberetur

LLI 4 liberetur

33 Clericus si in hæresim lapsus, quæ & qualia eius bona publicentur.

34 An confiscatio extendatur ad bona, quæ sunt extra territorium iudicis condemnantis hæreticum.

35 An hæreticus testamentum condere possit.

36 Hæreticus amittit ius patriæ potestatis in filios.

liberetur etiam ab obligatione naturali alendi pauperis heretici pauperis. Et tandem resoluit posse negare alimenta patri, præterquam in casu extremæ necessitatis: quia magis tenetur pater ad alendum filium, quam filius ad alendum patrem: & tamen pater negare potest alimenta filio heretico, cum possit eum etiam exheredare, ut constat ex Authent. *Ut cum de appellatione cognoscitur*, §. *causas*, versic. *si quis de predictis*. Hoc tamen nimis durum mihi videtur, & in primis id quod supponit magis strictè debet à parente alimenta filius, quàm à filiis debeantur parentibus: negatur communiter à Theologis cum S. Thoma 2. 2. *quest. 26. artic. 9.* quos affert, & sequitur Azor *tom. 2. lib. 2. capite 2. quest. 16.* Deinde aliud est exheredare, aliud non alere indigentem; nam filius spurius non potest à patre hæres institui, & tamen potest, & debet pater ei alimenta necessaria subministrare, ut dixi *tom. 2. de Iustitia disput. 24. sect. 7. num. 120.* Melius ergo Azor *dicto lib. 2. capit. 3. quest. 2. proposita questione*, an filius in vniuersum debeat parentibus egenis alimenta præstare: Respondet, *debere etiam si pater sit paganus, à fide, & religione Christi alienus, hereticus, vel Indæus: item tamen si pater sit anathemati subiectus.* Hoc enim est magis iuxta pietatem naturalem, & debitum & à natura in-

possunt apud Farinacium *de hæresi. quest. 178.* 193. & 196. & in aliis locis.

Dug tamen fatenda sunt. Primum est, Ecclesiam non statim à primo initio hanc totam potestatem in hereticos exercuisse, sed tentasse prius omnia alia remedia, faciliora, ut hereticos corrigeret, & Principes ipsos, ac imperatores Christianos incepisse ab aliis leuioribus pœnis, reuocari, multæ pecuniariæ, confiscationis bonorum, ac denique experientia edoctos ad vltimum supplicium peruenisse. Quia in re difficultatem sentit Augustinus, & dubitauit aliquando, non quidem circa potestatem; sed an expediret hoc rigore procedere contra hereticos licet postea experientia ipse etiam edoctus fallus fuerit necessitate munere tamen suo, & iuxta regulas pietatis de Charitatis Christianæ sapius deprecabatur iudices, & magistratus laicos, ut abstinerent eo supplicio, & parcerent hereticis. Quo pacto conciliantur plura, & varia Augustini loca, quæ late congerit, & bene ponderat Hurtado & explicat in *presenti disp. 86. sect. 11.* Alia verò argumenta hereticorum videri possunt apud Bellarminum ubi supra & apud Suarez in *presenti disp. 13. sect. 1. à num. 8.*

Secundò fatemur, hanc potestatem, licet principaliter in Ecclesia eiusque ministris residere, decentius tamen, & conuenientius exsecutioni mandari per iudices, & magistratus laicos ad quos licet non spectet cognoscere, & iudicare de ipsa hæresi, (hoc enim spectat ad Ecclesiam, cuius est examinare fidei doctrinam, & quæ ei opponi possunt) postquam tamen Ecclesia iudicat, & damnat hereticum, eumque tradit seculari curiæ: ut iuxta leges contra ipsum procedat: tunc Iudex laicus ex consensu Ecclesiæ damnat eundem hereticum vltimo supplicio, & sententiam hanc exsecutioni mandat: quod magis congruit personis Ecclesiasticis, quorum manus, & linguæ à sanguine humano, quantum fieri possit, remotæ esse debent, solidumque declarant criminis grauitatem, cætera iudici laico permittere, ut ipse proinde iure ad sententiam procedat. Si tamen Iudex laicus vellet processum examinare, ut cognosceret de crimine, an sufficienter esset probatum, & tergiversaretur in sententia ferenda contra hereticum; possent inquisitores iudicem per censuras compellere, ut debito modo suo munere fungatur, imò & inquirere contra illum, ut suspectum, quod sit hereticorum fautor, ut docent communiter doctores, quos refert Diana 4. *parte tract. 8. de officio, & potestate inquisit. resol. 26. & resol. 52.* ubi etiam notat, inquisitores non incurtere irregularitatem tradendo hereticum Curie seculari, non solum propter protestationem, qua à iudice petunt, ne ad sententiam mortis, vel mutilationis procedat, sed etiam propter declarationes Pauli IV. & Pij V. qui quatenus opus erat, dispensarunt cum inquisitoribus, eorumque vicariis, Commissariis, & Consuloribus, ne fierent irregulares, quantumcumque ad hereticorum condemnationem concurrerent. Quæ declaratio facta primum 29. Aprilis anno 1557. pro votum, & sententiam suam dicentibus in Congregatione Romana coram summo Pontifice, extensa postea à Pio V. ad omnes Inquisitores, eorumque Vicarios, Commissarios, & Consulores, refertur ab eodem Diana in fine dictæ 4. partis inter decreta, & constitutiones Pontifici

SECTIO II.

De pœnis corporalibus, & in primis de pœna capitali.

36 **H**æc questio magna ex parte pertinet ad controuersitas, ex parte verò ad forum iudiciale. Ad controuersitas spectat quatenus aduersus hereticos id negantes probant ex professo, esse in Ecclesia potestatem ad puniendos hereticos vltimo supplicio, de quo ultra alios videri possunt Cardin. Bellarminus *lib. 3. de laicis cap. 21. & 22.* & Valentia in *presenti disput. 1. quest. 11. punct. 3.* Et quidem potestas hæc constat ex Extraneanti *Vnam sanctam*, de maiori- tate, & obedientia, & ex cap. *Ad Apostolicam*, de sententia, & re iudicata in 6. & cap. 1. de homicidio in 6. Et probari etiam potest ex scriptura, in qua falsi prophetae, & inobedientes iudicio sacerdotis in controuersis fidei iuebantur interfici *Deuteronomio 13. 17. & 18.* & Principes laudantur, qui eas pœnas exquebantur, 3. *Regum. 18.* & 4. *Regum. 10. & 23.* & alibi sæpe. Non est autem credibile hanc potestatem datam à Christo non esse suæ Ecclesiæ, quæ ad eius bonam gubernationem necessaria erat, & sine qua constat experientia hereticos non posse corrigi, & coerceri. Et quidem mirum est, ab iis hereticis negari hanc Ecclesiæ potestatem, qui ad falsam suam sectam non solum bonorum proscriptio- ne, sed ferro & igne, & cruciatibus innumeris Catholicos compellere conantur. Ratio denique est manifesta, quia respublica habet potestatem ab puniendos subditos pœna condigna iuxta delicti grauitatem: Hæresis autem grauitas adeo excedit super alia crimina capitalia, ut respectu illius non sit iudicanda grauis hæc pœna: idco- que Principes etiam seculares eandem pœnam hereticis imposuerunt. l. *quicumque* & l. *Ariani* Cod. de hereticis, & in aliis iuribus, quæ videri